

I A C. A C O N T I

flagitiaque insectantur: quo quid fuerit absurdius? Sed quid si digna (inquies) non erant quæ insectaris? equidem si quid sit eiusmodi, compertum cum id habuero, vehementer me poeniteat. neque fanè is ego sum, qui errare me non posse putem. voluntas certè cuiusquam vel apertè, vel tectè laceffendi nulla fuit, testis mihi estis, quem clam esse nihil potest. Ut condonare id mihi facile debeat cuicumque vel tantillum sit Christianæ clementiæ, æquum tamen fuerit: quem attigerint ea quæ tractamus, eum se iudicem non facere, sed iudicium ijs permittere, ad quos priuatim nihil pertineant.

Satius autem est multò, nos inter nos alios aliorum notare lapsus, atque emendationem amâter quærere, quàm expectare dum hostes nostri arrepta inde occasione in nos, professionemque nostram virulenti lingua debacchentur.

Ridebunt tamen certè Pontificij, si quorum hæc in manus venerint, dum nostra detegimus vulnera. Sed præstat eos ridere vulnera, ex quibus
con-